sapientiæ illud decus, et prudentiæ domiciliũ,
non minus totius Græciæ ornamentũ, vita privatus
fuerit? lingua. quæ causa quod Callisthenes
Alexandri Magni quondã condiscipulus caveæ
inclusus interfectus fuerit? lingua. quod etiã
volatica Æsopi testudo, si vitales resumeret
spiritus, testaretur. Non ad genus tantũ
sed ad ipsas etiam species descendendum
esse autumo et probandum, quantum vitiæ
Spinæ officiant. proximum molestare dixi
Auditores humanissimi. quoties, si candidam
veritatem fateamur, quæ in pulvere sepeliri
non potest, è corona Rhinocerotis nasum
habentes fugiunt ut Archytæ quoddã crepitaculũ
advenire conspicantur, et non solũ fugiunt
verùm etiam odio Vatiniano prosequuntur tales
Arabicos tibicines, qui non aliter, quàm
Olympia porticus heptaphonos dicta vocem
acceptam arte septies reddit, agunt, si quid